

Concilio Tridentino facultas absolvendi pro Foro conscientie ab hæresi, & aliis, reservatis casibus occultis fuerit illis adempta per Bullam Cœnæ? Antè responsum notandum Primo, in Concilio Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 6. datam fuisse Episcopis potestatem dispensandi in omnibus Casibus ex delicto occulto provenientes, & absolvendi à cunctis casibus occultis etiam Papæ reservatis, per sequentem textum: Licet Episcopis in irregularitatibus omnibus, & suspensionibus ex delicto occulto provenientes, excepta eâ, qua oritur ex homicidio voluntario, & exceptis aliis deductis ad Forum contentiosum, dispensare: Et in quibuscunque casibus occultis etiam Sedi Apostolice reservatis, delinquentes quoscunque sibi subditos in Diocesi sua, per se ipsos, aut Vicarium ad id specialiter deputandum, in Foro conscientie gratis absolvere impo- sitâ penitentia salutari. Item Et in hæresi crimine, in eodem Foro conscientie eis tantum, non eorum Vicarius sit permissum.

Notandum secundò, magnam esse controversiam inter Doctores, an præfata facultas à Tridentino Episcopis concessa, fuerit revocata per Bullam Cœnæ in ordine ad casus in illa reservatos; & quidem in specie quoad hæresim in eadem Bulla inter alios casibus specialiter reservatam. Una, eaque communior inter Doctores sententia affirmat, dictam facultatem omnino fuisse revocatam. Ita docent Barbosa de Officio, & potestate Episcopi Allegat. 40. à num. 23. Sanchez z. lib. 2. Moralium, Disp. 3. §. 2. num. 22. Garzius de Beneficiis, p. 11. cap. 10. n. 115. Durand. in Bullam Cœnæ lib. 3. §. 2. q. 12. Et 13. Pignatelli Tom. 1. Consult. 291. dicens, id hodie esse certum ob plures Declarationes Cardinalium. Spirellus Decis. 112. num. 61. aliique plurimi à Barbosa loc. cit. allegati.

Fundamentum præcipuum hujus sententiæ desumitur ex verbis Bullæ, ubi §. 21. Omnibus etiam Episcopali dignitate præditis expressè adempta est facultas absolvendi à casibus in Bulla reservatis, quomodocunque etiam per cujusvis Concilii Decreta prius concessa. Audiamus verba formalia: Ceteram à prædictis sententiis nullus per alium quam per Romanum Pontificem, nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi desistendo Ecclesie, mandatis, & satisfaciendo cautione præstitâ, absolvi possit, etiam prætextu quarumvis facultatum, & indulgentiarum quibuscunque personis Ecclesiasticis secularibus, & quoruncvis Ordinum etiam Mendicantium, ac Militarium Regularibus, etiam Episcopalis, vel aliâ majori dignitate præditis, ipsique Ordinibus, & eorum Monasteriis, Conventibus, & Domibus, ac Capitulis, Collegiis, Confraternitatibus, Congregationibus, Hospitalibus & locis piis, nec non Laicis, etiam Imperiali, Regali, & aliâ moderatâ excellentiâ fulgentibus, per Nos, & à quâvis eisdem, ac cujusvis Concilii decreta, verbo, literis, aut aliâ quâcumque scriptura in genere, vel in specie concessorum, & innovatorum, aut concedendorum, & innovandorum.

Accedit, quòd secundum hanc opinionem in supremo Generalis Inquisitionis Prætorio Romano fuerit pronunciatum, Insuper S. Congregatio Concilii Tridentini Interpretum declaravit ex Bulla Cœnæ Domini sublatam esse facultatem Episcopis tributam in Tridentino Sess. 24. cap. 6. ut restat Fagnanus in c. Quoniam, de Constitut. num. 29. & c. Dilectus, de Temp. ordinat. num. 31. ubi subiungit. Unde frustra nonnulli ex recentioribus Theologis hunc articulum in controversiam adducunt, cum habeamus claram determinationem S. Congregationis. Refert etiam similes Declarationes plures Fialec. prax. p. 2. cap. 1. a. 3. n. 6. Et seqq.

Rursus ita declaravit Gregorius XIII. & Clemens VIII. prout varii Authores testantur apud citatum Barbosa. Unde & S. Franciscus Saleius, etiam in examine Episcoporum sibi ex tringentaquinque questionibus Clemens VIII. primam proposuisset: possent Episcopi ab hæresi absolvere? itque respondisset: Possunt ex Concilio Tridentino. Papæ respondente, non esse hanc suam mentem, antiquatum enim esse illam articulum; mox sententiam retractans verus Ecclesie filius subiunxit: Quandoquidem est mens Vestra Sanctitatis, à me discedo, prorsus Pontificia acquiesca. Ita ex vita huius sanctissimi Antistitis refert P. Gobath Traç. 7. Theologiae Experiment. num. 370. Unde si verè sunt huiusmodi Pontificie Declarationes, ab hac sententia nequiquam videtur dilcedendum.

Secunda sententia, & priori directè opposita, negat, per Bullam Cœnæ Domini revocari facultatem absolvendi ab hæresi aliisque casibus occultis pro Foro conscientie in Concilio Tridentino concessam. Hanc sententiam multi etiam Doctores tenent, quorum 24. citat Barbosa ibid. n. 21. Imò, quamvis Sanchez z. lib. 2. in Decalogum. cap. 11. oppositam sententiam amplectatur, nihilominus tandem fatetur utramque, consequenter hanc secundam sententiam ex rationibus, & authoritate Doctorum reddi videri probabilissimam; addit tamen ad finem, omnino tenendam esse sententiam priorem, nec in re tam gravi amplectendam esse sententiam posteriorem valde dubiam, & parum tutam.

Cæterum hanc secundam sententiam probant nonnulli ex eo, quia Decreta Concilii Generalis, præsertim novi ac moderni, cuiusmodi est Tridentinum, non censetur revocari, nisi fiat expressa mentio Concilii, ut multi tenent Doctores cum Sanchez lib. 3. de Matrim. disp. 26. num. 7. arg. c. Nonnulli, de Rescriptis, & aliis; ergo cum in Bulla Cœnæ Domini nulla fiat mentio Concilii Tridentini, eisdem non censetur derogare. Verùm hæc ratio parùm probat: nam ut diximus Lib. I. Tit. II. de Constitut. §. 20. à n. 522. Concilio Tridentino derogari, etsi de illo non fiat mentio expressa, vide ibidem dicta expressè.

Meliùs igitur alii probare conantur hanc sententiam ex eo. Quia correctio Jurium est vitanda, si fieri potest, arg. c. Cum expediat, de Election. in 6. amplius diximus in Proæmio §. 12. à nu. 201. Atqui hoc fieri posse videtur in proposito, dicendo, quòd Concilium Tridentinum loquatur de potestate absolvendi ab hæresi occultâ, & Bulla Cœnæ Domini de potestate absolvendi ab hæresi publicâ.

Confirmant suam opinionem primò. Lex generalis posterior non tollit Legem specialiter loquentem priorem, sed potius distinguitur & limitatur per antiquam, ne videatur eam corrigere, arg. c. Generi, de Regl. Jur. in 6. Generi per speciem derogatur, cum Concordantiis. Atqui Bulla Cœnæ loquitur generaliter de hæresi ejusque absolutione, Concilium Tridentinum verò loquitur specialiter de Hæresi occultâ, ut patet ex textu; ergo.

Confirmant II. solvendo fundamenta prioris sententiæ. Et quidem ad fundamentum n. 352. allegatum ex verbis Bullæ Cœnæ Domini desumptum, respondent juxta proximè dicta, eam non tollere potestatem absolvendi ab hæresi, aliisque casibus occultis vi Concilii Tridentini Episcopis concessam; ut sic concordentur Jura Juribus, ac eorum correctio commode evitetur.

Ad pronunciatum supremi Tribunalis S. Inquisitionis dicunt, illud non habere vim legis; & quamvis priorem sententiam reddat valde probabilem, non tamen tollere probabilitatem oppositæ sententiæ posterioris.

Ad

Ad Declarationes S. Congregationis respondentem cum Fagnano in c. Quoniam, de Constitut. num. 59. & Engel in Proæmio Juris Canonici, numer. 15. ex Decreto Gregorii XV. Anno 1621, & Urbani VIII. die 2. Augusti 1522. emanato, huiusmodi Declarationibus nullam fidem in judicio vel extra à quocunque adhibendam esse, nisi in authentica forma solito Sigillo, & subscriptione Emmi Cardinalis Præfedi, & Secretarii ejusdem Congregationis pro tempore existentium manite fuerint. Et ita sonat Decretum Urbani VIII. à Barbosa lib. 1. Juris Ecclesiastici Universi cap. 4. num. 33. relatum.

Ad Declarationem Gregorii XIII. & Clementis VIII. respondent, de eadem non constare authentice: cum igitur res hæc sit admodum ardua, & jam scientibus Summis Pontificibus controversa, putant non tolli probabilitatem secundæ sententiæ abque alia expressiori declaratione Pontificâ. Ita olim Diana part. 1. traç. 1. Refol. 2. Balæus Tom. 1. §. Casus reservatus, n. 37. aliique. Verùm his non obstantibus,

Resp. I. Ad Questionem n. 35. positam. Quamvis secunda sententia num. 355. Et seqq. relata, olim probabiliter potuerit defendi, fueritque defensa à multis gravissimis Viris non sine gravi fundamento, ut ex dictis patet: de factis tamen secus dicendum, & omnino tenenda est Prior sententia num. 351. posita, idque ob novissimum Decretum Alexandri VII. Anno 1665. emanatum, sequentem inter alias Propositionem tanquam scandalosam damnantis: Sententia asserens Bullam Cœnæ solum prohibere absolutionem hæresi, & omnium criminum, quando publica sunt, & id non derogare facultati Tridentini, in qua de occultis criminibus sermo est. Anno 1629. die 18. Julii in Consistorio S. Congregationis Eminentiſſimorum Cardinalium visa & tolerata est.

Nec sufficit dicere, præfatum Propositionem esse damnatam propter ultimam particulam, de Consistorio Cardinalium falsò attestantem. Nam contra urget; quia dicta Propositio est damnata tanquam scandalosa: ex sola autem tali attestazione parùm scandali sequi possit, nisi versaretur circa doctrinam cæterogeneri fallam, quæ habetur in circibus dictæ Propositionis verbis, ac olim jam rejecta dicitur à SS. Pontificibus, & S. Congregatione Concilii per ea, ac per Declarationes n. 353. Et num. 354. allegatas, siquæ ex professo damnata censetur. Et ideo P. Gobath. Traç. 7. Theologiae Experiment. num. 270. novissimæ editionis, hoc unicum Decretum Alexandri VII. secundæ sententiæ opponit.

Neque urgent rationes à num. 357. in favorem secundæ sententiæ allatæ. Siquidem habent duntaxat locum in tanto dubio de intentione legis: fallunt autem, si aliunde constet de contraria intentione legis, sui dispositione Legislatoris, prout fit in proposito.

Ad id, quo Declarationes num. 353. allegatas infirmare conantur, respondent, verum quidem est, quòd Declarationes Cardinalium non probent, nisi in forma authentica asserantur juxta dicta num. 361. tamen etiam verum esse, quòd ad irreverentiam, & temeritatem vix ablit. Declarationes à probatis Authoribus (inter quos utique est Fagnanus, utpote S. Congregationis Secretarius) relatas ex hoc solo rejicere, quòd non asserantur in forma authentica, prout ex eodem Fagnano in Proæmio §. 8. nu. 128. amplius diximus.

Quapropter sententia hæc in praxi ubique etiam in Germania est tenenda, non obstante multitudi- ne casuum, quia ob hoc dantur Episcopis Germaniæ speciales singulis quinquennis renovandæ facultates absolvendi ab hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœnæ: prout in specie habet noster Reverendissimus

ac Cellissimus Princeps & Episcopus Frisingensis juxta dicta Lib. IV. in Appendice nu. 22. facultate 10. ibi: Absolvendi ab omnibus casibus reservatis etiam Bullæ Cœnæ, in locis tamen, ubi impune grassantur hæreses, uti est in Germania.

Resp. II. Sicut ab hæresi, ita ab aliis casibus Bullæ Cœnæ absolvendi potestas aliis vi Concilii Tridentini Episcopis competens, sublatâ est per eandem Bullam Communis Doctorum: quia casus omnes in dictâ Bulla æqualiter sunt reservati, & clausula potestatis derogatoria est universalis quòd omnes; ergo si ob hanc Episcopus nequit absolvere ab Hæresi, nec ab alio Bullæ casu absolvere poterit.

Resp. III. Quamvis juxta hætenus dicta Episcopus de Jure communi nequeat absolvere in Foro interno ab hæresi, tamen de Jure communi tanquam Delegatus Apostolicus id potest pro Foro externo, casu quo hæreticus notarius Hæresim prius abjurat, & penitens ad Ecclesiam redit. Farinacius de hæresi, q. 192. numer. 52. Et seqq. Calbro Palao de Fide Traç. 4. Disp. 4. pin. 3. §. 2. num. 23. Piching. h. z. nu. 42. & alii, arg. c. Ut officium prin. §. Si vero. h. r. in 6. Quæ Absolutio etiam in Foro interno eadem tenentur, quatenus sublatâ per Absolutionem Episcopi Excommunicatione, quavis dein Confessarius à peccato hæresi absolvere queat. Ita Doctores citati.

Porro virtute specialis facultatis possunt Episcopi Germaniæ pro utroque Foro absolvere Hæreticos, juxta dicta n. 367.

Queritur II. An impeditum adire Summum Pontificem possit Jure ordinario, & secluso speciali privilegio à proprio Episcopo absolvi ab Excommunicatione propter hæresim incursum, & aliis Casibus Papæ etiam in Bulla Cœnæ reservatis? Non enim desunt, qui negativè respondent, quos citat Diana part. 12. traç. de Conclavi, Resolut. 24. atque ex parte sequitur ibid. Resolut. 25. Rationem dant; quia tantum articulus mortis excipi solet in reservatione Censurarum Summo Pontifici facta. Quo non obstante,

Resp. I. Potest Episcopus impeditum persona liter adire Pontificem vel in perpetuum, vel ad longum tempus, absolvere ab hæresi, & aliis casibus vi Bullæ Cœnæ reservatis. Diana cit. Resolut. 24. Layman lib. 1. traç. 5. part. 2. cap. 6. num. 5. qui ex communi Doctorum ponit hanc Regulam: Casus Papalis, superveniente impedimento adeundi Papam, sit Episcopalis; quia id congrua subordinatio inter Prælatos requirere videtur. Calbro Palao de Fide Traç. 4. Disp. 4. pin. 3. §. 5. à numer. 4. Abbas in c. De cætero de Sentent. Excomm. num. 1. Navarrus in Summa. c. 27. num. 89. Sylvester §. Absolutio. 4. num. 7. Felinus in c. Quamvis de Sentent. Excommunicat. Navarrus cap. 27. Ancharanus in c. Eos qui. eod. in 6. Covarruvias in c. Alia Mater p. 1. §. 11. numer. 15. cum communi. Ratio est; quia, ut notant citati Doctores, ejusmodi impedimentum perpetuum; vel ad legitimum tempus, reputatur tanquam verus articulus, seu periculum mortis in ordine ad impetrandam dictam Absolutionem ab alio, quam à Papa. Probatur hoc ex eo: Tum quia sic impeditus moraliter est certus, se non posse ante mortem adire Summum Pontificem pro obtinenda Absolutione: Tum quia frustra & inutiliter, imò & periculosè talis expectabit verum articulum mortis cum jam antea & semper sit necessaria Absolutio, sique periculum tandem sine Absolutione decedendi, si non possit hanc prius saltem à proprio Episcopo obtinere.

S 4

Proba

373. Probatur idem ex Jure Canonico, c. *Mulieres*. c. *De cætero*. & c. *Ea noscitur*. de *Sentent. Excommunicat.* ubi expresse datur Episcopis facultas absolvendi ab Excommunicatione Papæ reservatâ, & incursâ propter gravem percussione Clerici, si excommunicatus ob capitales inimicitias, infirmitatem, senectutem, Sexum muliebrem, vel alias iustas excusationes, quibus in itinere rationabiliter excusetur, sine periculo se nequeat conspectui presentare: dummodo talis juxta facultates suas parti læsæ satisfaciatur, simulque præstito juramento eadem injungatur, ut cessante impedimento, aut sanitate recuperatâ, Romanum Pontificem, vel Legatum ipsius adest, mandatum Apostolicum accepturus; prout expresse habetur utroque loc. cit. Concordat c. *Quod de his*. 20. c. *de Monialibus*. 33. & c. *Quamvis*. 58. de *Sentent. Excommunicat.*

374. Nec obstat, quod in citatis Capitulis fiat sermo de Excommunicatione & percussione Clerici contracta, que in c. *Si quis suadente diabolo* 17. q. 4. extra mortis periculum Summo Pontifici reservatur. Resp. enim, eandem rationem, ac proinde idem jus esse in omnibus Excommunicationibus reservatis, ut tradunt communiter Doctores. Nam id concedunt Jura, ne Excommunicatus ob impedimentum adeundi Papam moriens sine Absolutione incurrat periculum salutis æternæ. Adde c. *Eos qui de Sentent. Excomm.* in 6. ubi Glossa *Ÿ. Canonis*. hoc extendit ad alios casus Jure communi Papæ reservatos.

375. Resp. II. Quamvis Episcopus possit impeditos personaliter ire Romam, absolvere à casibus Papalibus Bullæ Cœne, tamen debet eis sub juramento injungere, ut cessante impedimento illuc se conferant. Communis & certa ubi clara Jura n. 373. citata.

376. Dicitur autem notanter: *Spesaro Jure communi*: nam aliud erit, si Episcopus habeat speciale privilegium absolvendi, juxta dicta num. 367. Deinde etiam spectanda erit consuetudo locorum. Nam Episcopi in locis Romæ remotioribus, præscriptis possunt jurisdictionem absolvendi impeditos hujusmodi, sine onere, quod Reo imponere debeant obligationem sistendi se Papæ, vel ejus Legato, prout post Navarrum notat Layman loc. cit. num. 6. lib. 1. tr. 5. p. 2. cap. 6. n. 6.

377. Nec refert, quod contra Bullam Cœne nulla fieri queat præscriptio juxta dicta n. 90. Quia obligatio, quâ tenetur Episcopus impeditis ire Romam injungere, ut cessante impedimento illuc se conferant, non est à Bulla Cœne, sed à SS. Canonibus num. 373. citatis, contra quos bene valet præscriptio.

378. Quæritur III. Quænam censeantur in Jure esse impedimenta adeundi Papam? Resp. esse septendecim, quæ inter alios singillatim declarantur à Sylvestro *Ÿ. Absolutio*. 4. n. 3. & sequentibus verficulis comprehenduntur.

*Regula, mors, sexus, hostis, puer, Officialis, Delictiosus, inops, ægerque, senexque, Sodalis, Janitor, adstrictus, dubius, causa, levis iustus, Debitis: absolvi sine Summâ Sede merentur.*

379. Ex his ly *Regula*, denotat Regulares, qui per suum Superiorem absolvi sunt; prout in *Religionis favorem*, & ut evagandi materia subtrahatur, habet statutum c. *Monachi*. 2. & c. *Cum illorum*. 32. de *Sentent. Excommunicat.* Intelligit, nisi excessus illi sint difficiles ac enormes, ut *ibid.* subditur.

380. Ly *Mors* denotat mortis articulum, de quo habetur c. *Non dubium*. de *Sentent. Excommunicat.* & alibi. Per ly *Sexus* denotantur mulieres; nam hæc ob fragilitatem Sexus impediuntur à longis itineribus. Deinde ly *Hostis* significat habentem capita-

les insidias, ob quas metu mortis, aut alterius gravis damni sibi ab hostibus inferendi prohibetur ab itinere ad Sedem Apostolicam. Et hi proinde possunt absolvi ab Episcopo, ut habetur c. *de cætero*, & c. *Ea noscitur*. de *Sentent. Excomm.* Adde *Pueros, Senes, Ægros, Debieque*, ut habetur loc. cit. juncto c. *Quamvis*. & c. *Pueri*. eod.

Porro ly *Officialis* indicat eum, qui in causa percussione Clerici arcendo turbam casu fortuito (non tamen absque omni culpa) Clericum percussit. Hoc adde *Janitorem* seu *Ofitarium*, sub prætextu sui Officii Clericum male percutientem: nam uterque absolvi potest ab Episcopo, nisi forte Clericum graviter vulnerasset, ut dicitur c. *Si verò*, il. 1. de *Sentent. Excomm.*

Ly *Delictiosus*, loquitur de delicatis, id est, de his, qui magne sunt potentia, simulque NB. ita delicati, quod labores venientis ad Sedem Apostolicam nequeant sustinere, ut explicatur c. *Mulieres*. de *Sent. Excomm.*

Per ly *Inops* insinuantur pauperes, seu inopiâ impediti, quo minus Romanum Pontificem possint adire, ut dicitur c. *Quamvis*. de *Sentent. Excomm.* Nec obstat c. *Ea noscitur*. eod. ubi pauperes jubentur Sedem Apostolicam adire. Resp. enim cum Glossa hic, in priori loco sermonem esse de iis, qui tantâ paupertate laborant, ut ad Curiam ire non possint: in posteriori verò textu sermonem esse de his, qui possunt ire, licet pauperes sint.

Ly *Sodalis* in causa percussione Clerici importat Clericos viventes in communi, & in una domo vescentes, & sub eodem tecto quiescentes; qui pariter ob mutuum percussione Clerici absolvi, nisi forte atrocitas facti poenam graviozem expectet, ut habetur c. *Quoniam*. de *Vita & honestate Clerici*.

Ly *Adstrictus* denotat obligatos seu subiectos alterius potestati: ut sunt levi, qui non sunt sui juris; item filifamilias. Nam hi non possunt ire Romam in vitis dominis, vel parentibus, atque ideò ab Episcopo possunt absolvi, arg. c. *Mulieres*. & c. *Relatum*. de *Sentent. Excomm.*

Per ly *Dubius* rursus in causa percussione Clerici, insinuat ille, de quo publica fama est, quod verberavit Clericum: nam hic ad arcturium Episcopi de hoc (si id neget) vel debet ire purgare, vel ab ipso ad cautelam absolvi. Ita habetur c. *Cum desiteres*. §. *Secundo*. de *Sentent. Excomm.*

Uterius per ly *levis iustus*, intelligitur levis percussio Clerici: nam Excommunicatus pro levi manuum injectione in Clericum potest per Episcopum absolvi, arg. c. *Pervenit*. eod.

Tandem per ly *Causa*, intelliguntur alie iustæ excusationes, quibus quis ab itinere ad Sedem Apostolicam amplectendo pro obtinenda Absolutione, rationabiliter excusatur arg. c. *De cætero*. de *Sentent. Excomm.* ibi: *Alias iustas excusationes*. Quæ quia possunt esse multiplices, in iis dijudicandis statuitur arbitrio boni viri, arg. c. *De Causis* de *Offic. Delegat.* Plura de his omnibus Sylvester loc. cit. & alii.

Porro ad hoc ultimum reducitur ab aliquibus *Nimia frequentia Casuum*, ob quam posse Episcopum absolvere à casibus Papalibus, docent plures Doctores, ut Pirching h. n. 42. Layman in *Conclusiõibus Canonicois*. Concl. 73. & Henricus Wagnerck in c. *Licet de Offic. Vicarii*. in 6. cujus doctrinam etiam refert Gobath *Tract. 7. Theolog. Experim.* nu. 371. in *Appendice*, & alii. Siquidem, ut loquitur citatus Pirching cum ob *nimiam frequentiam*, & *multitudinem absolvendorum*, ad hunc necessarium & evidens impedimentum eos mittendi Romam: *ideo tales casus Papales* sunt

SUMMARIUM.

*funt Episcopales, quamvis majoris securitatis gratiâ aliqui Episcopi talem potestatem à Papa petere solent.*

390. Adde verba citati Wagnerck à citato Gobath relata & approbata, quæ sic sonant. Quod ad Episcopos Germaniæ attinet, rectè meminisse jubet Layman loc. cit. nu. 73. doctrinæ, quam Doctores uno ore non solum tanquam æquum, verum etiam necessarium tradunt, *Casus Papales ob nimiam frequentiam, vel impedimentum adeundi Papam, fieri Episcopales*. Quod vel maxime locum habet circa hæreticos in Germania; & in aliis casibus: ut confidenter existimem cum eodem Laymano, securitatis esse potius, quam necessitatis, si Episcopi Germaniæ potestatem absolvendi hæreticos, quantumvis notorios à Pontifice specialiter petant, hætenus citatus Henricus Wagnerck.

391. Verum quamvis ob impedimentum adeundi Papam Episcopo potestatem absolvendi ab hæresi, & aliis casibus Bullæ Cœne attribuatam cum Communi aliorum, juxta hætenus dicta à num. 371. tamen ob frequentiam casuum id asserere non audeamus, cum huic aliunde satis cautum sit, hoc ipso, quod Germaniæ, & aliis remotioribus Episcopis soleant dari speciale facultates à dictis casibus absolvendi, prout jam supra num. 367. diximus.

392. Pariter non approbamus fundamentum, quo ad propositum utitur Martinus Becanus (à Laymano proximè citato relatus) 2. 2. cap. 15. *quæst.* 2. nu. 6. dicens, Bullam Cœne Domini in multis Germaniæ partibus non esse usque receptam; cum juxta dicta à num. 81. Cœne Bulla licet non possit non recipi, & nulla contra illam consuetudo aut præscriptio legitime fieri valeat.

393. Quæritur IV. An quis in casu, quo impeditus personaliter adire Papam, teneatur mittere Procuratorem, vel scribere ad Sacram Pœnitentiarium pro obtinenda Absolutione à Confessori Papæ reservatis? Resp. *Negative* cum Diana loc. cit. *Resolut.* 24. §. *Nec in tali casu*. Barbosa part. 2. de *Offic. Episcopi*. *Episcopi*. Allegat. 41. numer. 7. Baltheo *Ÿ. Absolutio*. num. 30. Sanchez lib. 2. *Moral. cap.* 13. num. 14. Palao de *Vide tr.* 4. *disput.* 4. *pun.* 7. §. 5. num. 7. cum communi aliorum. Ratio est; quia Jura solum exigunt, ut Reus personaliter adest Papam, seu ut Apostolico conspectui se præsentet; ergo si hoc non potest, ad aliud à Jure non impositum minime tenetur.

394. Hinc Navarrus cap. 27. *Manualis*. numer. 90. ad 5. num. rectè inquit: *Iustum habet impedimentum is, qui ire non potest, licet pro Absolutione mittere possit, non enim ad id Jus obligat, sed vult, ut, si possit, vadat*. Hæc ille. Cum igitur, ubi Lex non aggravat, neque nos aggravare debeamus, dicendum restat, quod laborans impedimento personaliter adeundi Papam, non teneatur mittere Procuratorem, vel Epistolam ad S. Pœnitentiarium pro Absolutione: quamvis in praxi hoc posteros observari dicatur, præsertim in locis ab Urbe parum distantibus, atque ad majorem quietem & serenitatem conscientie rectè fiat, ut observant Doctores apud citatum Dianam *Resolut.* 25. *assert.* 3.

§. VIII.

De potestate absolvendi ab Hæresi, & aliis Casibus Papæ reservatis competente alius Confessarii præsertim tempore Jubilæi, & in mortis articulo.

395. Impeditus personaliter adire Papam possit secundum aliquos à quovis Confessario absolvi.

396. Contrarium est verius.

397. Potest tamen absolvi à quovis Confessario, qui etiam Episcopum personaliter adire est impeditus.

398. Episcopus facultatem absolvendi impeditos adire Papam potest alii delegare. Et num. seq.

400. Virtute Jubilæi nequeunt Confessarii absolvere ab Hæresi, nisi specialiter exprimat.

401. Alii tamen contrarium docent, & probare conantur.

402. Etiam solvendo argumenta prioris sententia. Et duobus seqq.

405. Prior tamen sententia est tenenda.

406. Solvitur instantia contraria.

407. In articulo mortis quis Sacerdos à quovis peccato absolvere potest.

408. Etiam presente legitimo Confessario, secundum aliquos.

409. In periculo insuper mortis quivis Sacerdos absolvere potest à quovis peccato.

410. Cautione tamen præstita de stando Ecclesie mandatis, & præstanda satisfactione: usque ad numer. 415.

415. Absolutus in mortis articulo à casibus Episcopalis non tenetur se postea præsentare illi.

Quæritur I. An impeditus adire Papam possit à quocunque Confessario absolvi à casibus Papalibus, etiam ab hæresi? Resp. Duplicem esse circa hoc opinionem Doctorum. Et quidem affirmativam teneant Palao de *Vide tr.* 4. *Disput.* 4. *pun.* 3. §. 5. n. 4. Bart. Loth. & Vericelli, à Diana cit. part. 12. *tract.* de *Conclavi*. *Resol.* 24. §. *Sed hic oritur*, relati. Rationem dant quia Sacerdos potest absolvere in mortis articulo sed in Jure æquiparatur perpetuum impedimentum, & articulus mortis, juxta n. 372. & c. *Eos qui de Sentent. Excomm.* in 6. ibi: *Eos qui à sententia Canonis, vel hominis (cum ad illum, à quo alius de Jure fuerant absolvendi, nequeant propter imminuitis mortis articulum, ut aliud impedimentum, pro Absolutionis beneficio habere recursum) ab alio absolvantur.*

Econtra sententiam negativam, videlicet, quod simplex Confessarius absque alia potestate, aut delegatione sibi factâ, nequeat extra verum articulum mortis absolvere à casibus Papalibus, non obstante impedimento adeundi Summum Pontificem, cum aliis à se citatis veriore censet Barbosa part. 2. de *Offic. Episcopi*. *Episcopi*. Allegat. 41. numer. 42. Diana loc. cit. *Resolut.* 25. Navarrus cap. 27. *Manualis*. num. 90. Ratio est; quia non habet potestatem ad id, nisi in mortis articulo, in quo nulla est reservatio, ut ait Concilium Tridentinum *Sess.* 14. cap. 7. Imò talis potestas absolvendi in casu impedimenti adeundi Papam expresse tantum datur Episcopis, c. *De cætero*. & c. *Ea noscitur*. de *Sentent. Excomm.* ergo ea non competit simpliciter Sacerdoti: nam ubi aliquid alicui generaliter præhibetur (v. g. absolvere à reservatis Papæ) quod expressè non conceditur, intelligitur denegatum. Clem. *Exivit*. §. *Porro* cum de *Verbor.* significat. cum Concordantiis.

Illud certum videtur, quod si habens impedimentum adeundi non tantum Pontificem, sed etiam Episcopum, & alios speciali facultate absolvendi præditos, possit à quovis approbato Confessario absolvi, uti bene advertit Tamburinus

de Casibus reservatis, cap. 12. §. 2. n. 28. & 34. Stoz. lib. 2. mon. 68.

398 Id etiam communiter concedunt, quod possit Episcopus potestatem absolventi a reservatis Papæ, in casu impedimenti adeundi Pontificem alii Sacerdoti delegare, sicut ipse absolvere. Ita Bonacina Tom. 3. disp. 1. de Bulla Cœne, quest. 22. par. 2. num. 24. Ratio est; quia facultas absolventi impedito competit Episcopo ratione officii, & vi dignitatis Episcopalis; atque facultas, quæ ratione officii, adeoque jure ordinario competit, est delegabilis, ut habetur cap. ultim. de Officio Judicis ordinari. & amplius explicat Glossa ibid. §. Casibus, ergo.

399 Porro talis delegatio potest fieri vel generaliter, vel specialiter. Priori modo fit ea erga Vicarium Generalem Episcopi, vi sive commissionis generalis. Secundo modo fit illa delegatio adhuc dupliciter, nimirum vel delegando potestatem absolventi circa casum specialiter oblatum, vel eam delegando circa omnes casus Episcopo reservatos: & quocumque modo fiat delegatio, potest delegatus absolutionem impendere. Bonacina loc. cit. post Sanchez lib. 2. Moral. cap. 11. num. 23.

400 Queritur II. An virtute Jubilæi, in qua datur Confessariis facultas absolventi a quibuslibet peccatis & Censuris, etiam in Bulla Cœne contentis, non expresso tamen crimine hæresis, censeatur concessa facultas absolventi ab hæresi? Plurimum iterum circa hoc variant Doctores, plerisque eorum partem negativam tenentibus, quos in magno referunt, ac sequuntur Barbosa par. 2. de Offic. & potest. Episc. Allegat. 40. num. 31. & Diana loc. cit. Resolut. 25. inter quos etiam sunt Navarrus cap. 27. num. 175. Sanchez lib. 2. cap. 12. num. 10. dicens, esse certissimum, Garcias p. 11. cap. 10. n. 109. Farinacius de hæresi. q. 192. num. 63. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 10. q. 12. Fundatur hæc sententia in gravitate, & rigorosa reservatione hæresis: unde non venit in generali concessione absolventi, cum sit speciali notâ digna, juxta Regul. 81. Jur. in 6. ibi: In generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset virisimiliter in specie concessurus. Accedit, quod ita observet Stylus Curie Romanæ. Imò ita fuisse declaratum à B. Pio V. per motum proprium Anno 1572. & rursus à Gregorio XIII. ad petitionem Inquisitorum Hispaniæ, testantur Authores apud citatum Barbosa. Adde Decretum Innocentii X. Anno 1652. ad supplicationem Inquisitoris Toletani emanatum, id ipsum declarans, cujus totum tenorem refert citatus Diana.

401 Affirmativam verò sententiam tenet Fillucius Tom. 1. tract. 8. cap. 10. num. 265. asserens, ita fuisse responsum in S. Congregatione Anno 1617. occasione Jubilæi tunc promulgati, unâ cum Soto, Corduba, Zerola, Fagundez, & pluribus aliis apud Barbosa citatis; & novissimè sequitur Gobath Tract. 3. Quinarii n. 248. citans insuper Azorium, Sanctarellum, Cotonium, Lugonem, & alios. Ratio est, quia verba generalia generaliter sunt intelligenda, c. Quia circa. 22. de Privileg. simulque favores sunt ampliandi, c. Odia. de Reg. Jur. in 6. Accedit, quod si Papa à tam generali & favorabili concessione voluisset excipere crimen hæresis, potuisset illud expressè exceptum, notat citatus Gobath; ergo quando illud non excipitur, datur virtute Jubilæi potestas ab eo absolventi in Foro conscientie, arg. c. Quia circa. de Privileg. ibi: Cum nihil exceperit, & poterat excipere.

402 Ad rationes in oppositum num. 100. relatas respondent. Et quidem ad primam respondet Fillucius loc. cit. licet sit opinio multorum Doctorem, non venire in concessione generali, tamen id nullo Jure probari, & alioquin viros doctissimos oppositum tenere.

Ad stylum Curie Romanæ respondet Diana par. 1. tract. 5. Resolut. 1. post Fagundez, quod stylus Curie Romanæ fundatur in probabilitate prioris opinionis, non tamen tollit probabilitatem alterius. Addunt primò, quod stylus Curie varius sit pro varietate Pontificum. Addunt secundò cum pluribus Doctoribus, quorum 26. refert Diana par. 12. tract. de Conclavi. Resolut. 25. quod stylus Curie non faciat Jus pro Foro conscientie, sed tantum pro Foro externo obliget.

Ad Declarationes SS. Pontificum respondet Diana cit. Resolut. 1. quod de illis non constat authenticè. Plurâ circa hoc Georg. Gobath loc. cit. num. 248. unâ cum novissimè additâ Appendice, notans, intrepidè à Confessariis Septentrionalibus hanc sententiam in usum deducis cum præsertim hæresis in hisce partibus propter suam frequentiam vix sit annueranda casibus Papæ reservatis; ut scripsit olim Layman citatus: quamvis oppositam sententiam, saltem in Italia, omnino veram; & certam, ac penitus sequendam existimet Diana cit. Resolut. 25. Asserit. 2. Quibus non obstantibus.

Resp. Negativam num. 400. positam longè probabiliorè, imò quasi certam, & in praxi omnino sequendam esse. Idque ob fundamenta ibid. allegata, præsertim verò ob repetitas Declarationes Cardinalium: quibus addi potest Decretum S. Congregationis sub Alexandro VII. editum 15. Maii 1656. illis verbis: Cum crimen hæresis præ cæteris gravissimum speciali notâ dignum sit, decrevit, facultatem absolventi ab hæresi in Jubilæis, vel aliis similibus concessionibus non censerî comprehensam, nisi præcisè verbis concedatur facultas absolventi ab Hæresi.

Nec valet in contrarium dicere, non constare authenticè de his Declarationibus, nam ad hoc patet ex dictis supra num. 366.

407 Queritur III. Quid possint Confessarii circa Absolutionem ab hæresi, & aliis casibus Papæ reservatis in vero mortis articulo? Resp. I. Possunt absolvere quilibet Sacerdotes ab omnibus peccatis, & Censuris, etiam hæresi, vel aliis Papæ reservatis quoslibet penitentes in mortis articulo; imò etiam in probabili periculo constitutos; dummodò hi de stando Ecclesiæ mandatis, & satisfaciendo cautionem præstiterint. Ita communis Doctorum.

408 Prima pars patet ex eo; quia in mortis articulo nulla est reservatio Casuum. Hinc in Concilio Tridentino Sess. 14. cap. 7. sic legitur: Verumtamen piè admodum, ne hæc ipsa occasione aliquis pereat, in Ecclesia Dei constitutum semper fuit, ut nulla sit reservatio in articulo mortis: atque ideo omnes Sacerdotes, quoslibet penitentes, à quibusvis peccatis, & Censuris absolvere possunt. Ex quibus amplius verbis docet communis Doctorum, quod simpliciter etiam Sacerdos, quamvis sit degradatus, excommunicatus, irregularis, Apostata, possit absolvere, si non adit Confessarius approbatus, proprius Parochus, aut Episcopus.

409 Num autem hoc præstare possit absolvere simplex Sacerdos, variant Doctores, & non paucè negativam tenent: quæ etiam sententia in praxi merito est observanda, ne ob defectum praxi, atque uberioris scientiæ, contingat error per simplicem Sacerdotem cum periculo salutis æternæ morituri. Interim etiam tunc, secluso alio errore, & pervertionis periculo, posse simplicem Sacerdotem absolvere, probabile censent Authores, quos refert Barbosa par. 2. de Offic. & potest. Episc. Alleg. 25. n. 79. & Diana par. 1. tract. 5. Resol. 5. & par. 4. tract. 4. Resol. 2.

§. VIII. De Tolerantia Hæreticorum, &c.

Resolut. 161. Ratio est; quia Concilium Tridentinum nullas apposuit Glossas & limitationes de absentia vel presentia proprii Parochi, aut Confessarii approbati, sed loquitur absolute; ergo neque nos debemus limitationem apponere, aut favorem pro eo articulo amplissime Fidelibus præstitum restringere.

410 Secunda pars Responsionis numer. 407. datæ, quæ hoc extendit ad probabile periculum mortis, est communior Doctorum apud Barbosa loc. cit. n. 81. Dianamque par. 1. tract. de Conclavi. Resol. 32. qui plurimos alios citant. Ratio est; quia licet in rigore sit differentia inter articulum & periculum mortis (nam articulus mortis propriè dicitur quando ex ægritudine prudenter timetur mors: periculum verò mortis, cum datur occasio, in qua frequenter homines pereunt, ut in conflictu bellico, in periculosa navigatione, & hujusmodi) in presentia tamen materia idem est articulus mortis, & probabile periculum ejusdem: nam morale periculum in malis ita exillimari, & vitari debet, sicut eventus ipse, juxta illud Ecclesiastici 3. Qui amat periculum, peribit in illo.

411 Tertia tandem pars, dummodò de stando Ecclesiæ mandatis &c. Constat imprimis ex Bulla Cœne Domini: ibi: Nisi in mortis articulo constitutus, nec etiam tunc, nisi de stando Ecclesiæ mandatis & satisfaciendo cautione præsitâ absolvi possit. Concordat c. De cetero c. Ea noscitur &c. Quamvis. &c. Quod de his. de Sent. Excomm. ubi præcipitur, ut absolvis tempore infirmitatis, vel ob aliud impedimentum adeundi Papam, sub juramento injungatur, ut cessante impedimento vel infirmitate, ad Apostolicam Sedem, vel ejus Legatum accedant, mandatum ipsius humiliter suscipiant, simulque juxta facultatem his, quibus per eos consulerit injurias irrogatas, satisfaciant.

412 Quinimò c. Eos, qui de Sentent. Excommuni. statuitur, quod absolvi propter mortis articulum, vel aliud impedimentum à sententia Excommunicationis ab eo, à quo aliàs non poterant, cessante impedimento, quàm citò commode poterunt, se illi, à quo aliquoquin absolvi debuissent: contemplerint præstare, mandatum ipsius super illis, pro quibus excommunicati fuerant, humiliter recepturi, & satisfaciendi, prout jussiva suaserit, in eandem sententiam recidant ipso Jure.

413 Intellige hoc, non quòd redeat eadem numero Excommunicatio (hæc enim per absolutionem jam fuit sublata) sed alia omnino similis priori, & quidem ipso Jure propter novam inobedientiam, atque contemptum sese debite presentandi de novo commissum. Arbitrantur etiam nonnulli apud Dianam par. 2. tract. de Conclavi. Resol. 33. Quòd cit. c. Eos qui, de Sentent. Excommuni. in 6. loquatur de excommunicatis denuntiatis seu deductis ad Forum externum, non verò de excommunicatis non deductis. Veram prior sententia est communiter recepta, nec proinde ab ea recedendum.

414 Queritur IV. An similiter in mortis articulo absolvi à Casibus reservatis, v. g. Episcopo, sed nullam Censuram annexam habentibus, teneantur, si convalescent, comparere coram Superiore, sicuti teneantur absolvi ab aliquo Censura? Resp. Negativè, cum Navarro cap. 26. Manualis. n. 26. Suarez, & aliis communiter contra Hurtadum, quem in oppositum citat Diana par. 4. tract. 4. Resolut. 199. Ratio est: Tum quia peccata talia jam fuerunt directè absoluta, eò quòd in mortis articulo cesset omnis reservatio: nemo autem tenetur eadem peccata bis confiteri: Tum quia nullo Jure constat talis obligatio, sicuti constat de habentibus Censuram reservatam.

Neque urget id, quòd habetur statutum de absolutione à Censuris. Nam imprimis diversa Juris dispositio oppositum suadet. Deinde Excommunicatio non incurritur nisi ob contumaciam, unde dignum est, ut talis specialiter se humiliet, & obsequentem ostendat Ecclesiæ, vel Superiori, cui fuit contumax: secus est in aliis casibus reservatis. Tandem etiam absolutus à Censuris in casu præmissò, non tenetur postmodum adire Superiorem ad hoc, ut iterum absolvatur, cum jam absolutus sit; sed ut mandatum ejus accipiat, atque ostendat se obedientem ad recipiendam debitam medicinam, & ad exhibendam majorem satisfactionem, si Superior ipse majorem judicaverit imponendam, ut habetur in Jure.

§. IX.

De Potestate absolventi ab Hæresi, & aliis Casibus reservatis competente Regularibus tam respectu suorum Subditorum, quam Secularium.

S U M M A R I U M.

- 416 Regulares pro Absolutione non mittuntur Romani.
- 417 Prelati Regulares habent jurisdictionem quasi Episcopalem.
- 418 Sed non omnes.
- 419 Generales, & Provinciales possunt absolvere suos Subditos ab omnibus, à quibus Episcopus de jure communi absolvi suos Diocesanos.
- 420 Doctrina practica.
- 421 Ampla potestas absolventi in Ordine Minorum. Et num. seq.
- 422 Regulares ab Episcopo solum approbationem, à Papa verò jurisdictionem absolventi habent.
- 423 Episcoporum reservatio principaliter afficit personam Confessarii.
- 424 Ut ideo possunt Regulares absolvere alienum Diocesenum à casibus in illius Diocesi reservatis Episcopo.
- 425 Debent Regulares cavere Propositiones circa Absolutionem damnatas.
- 426 Nullus Regularis potest Secularem absolvere ab aliquo casu Bullæ Cœne.
- 428 Nisi talis personaliter accedat Papam sit impeditus.
- 429 Nec à casibus Episcopo reservatis absolvere possunt Regulares.
- 430 De potestate absolventi, Remissivè.

416 Queritur I. Qualem potestatem habeant Superiores Regulares absolventi à Reservatis quibuscumque suos Subditos? Ante Responsionem notandum primò, quòd Monachi, alique Regulares, ob mutuum percussorem (idem servatâ proportionè dic de aliis casibus Papalibus juxta dicta n. 374.) non sint mittendi ad Sedem Apostolicam, sed possint absolvi à suo Prelato. Ita enim habetur c. Monachi. de Sent. Excommuni. idque in Religionis favorem, & ut evagandi materia subtrahatur, extenditur in c. Cum illorum. de Sentent. Excommuni. etiam ad eos, qui ante ingressum Religionis tale quid commiserunt: nisi excessus ipsorum existerit difficilis, & enormis, ut mox ibidem subiungitur. Et hinc numer. 379. annumerantur Regulares inter habentes impedimentum adeundi summum Pontificem.

Notandum secundò, quòd Prelati Regulares, ac hujusmodi Superiores Majores exempti, habent jurisdictionem quasi Episcopalem in suos Subditos, prout

prout loquuntur omnes Auctores. Desumitur autem hoc ex c. Abbates. de Privileg. in 6. ibi: Monasteriorum suorum conversis, & qui ad illa convolverint, & in quos Ecclesiasticam, & quasi Episcopalem jurisdictionem obtinent. Concordat Glossa in Clem. 1. De rebus Ecclesia non alien. & Proprii. Accedit ratio, quia jurisdictione in Regulares, quæ erat penes Episcopos, dum essent Regularium Superiores translata est in Prælatos Regulares per exemptionem à jurisdictione Episcoporum.

Porro nomine Prælatorum Regularium jurisdictionem quasi Episcopalem habentium intelliguntur soli Superiores Majores, nempe Generales, & Provinciales, ac hujusmodi. Licet enim Prælati cæterogeneri dicantur omnes illi, qui sunt Superiores Conventuum cum jurisdictione. arg. c. Decretum de Judiciis, ibi: Et alii Ecclesiarum Prælati: ac nomine Prælatore etiam comprehenduntur Prioratus, Guardianatus, Magistratus, seu alia Superioritas localis; secundum quod sunt diversa nomina talium Prælatorum, qui Religiosis præfunt, ut notavit Glossa in c. Nullus. de Election. in 6. & Prælatorem. Nihilominus Guardiani, alique Superiores locales tantum habent in suos Subditos jurisdictionem ordinariam, & dignitatem Ecclesiasticam, qualem habent Parochi, & Curati, ut notat Sanctorus de Meli in Statuta Generalia cap. 1. Statuto 4. §. Guardianum: non autem quasi Episcopalem. His prænotatis,

Resp. I. Regulares Prælati Generales, & Provinciales, possunt absolvere suos subditos ab omnibus casibus, à quibus possunt Episcopi suos absolvere de Jure communi. Ita communis Doctorum, quos citat, & sequitur Herincx Disp. 7. de Sacramento penitentia. quest. 3. & Sannig Disp. 11. de Penitentia. quest. 9. nu. 8. Ratio patet ex proximè dictis Confirmatur hoc ex Constitutione Pii V. (& habetur in Bullario Romano, Constit. ejus 132.) ubi Priori Conventuali, & Superioribus Prælati Ordinis Prædicatorum, ne sint deteriores conditionis quàm Sæculares, conceditur eadem facultas absolvendi & dispensandi erga Subditos dicti Ordinis, quam habent Episcopi in Clericos & Laicos sibi subditos: in hoc autem privilegio communicant alii Ordines præsertim Mendicantes, habentes communicationem Privilegiorum.

Ex his inferes conformiter dictis, quidnam possint vel non possint Prælati Regulares, quantum est de Jure communi in absolvendis suis Subditis: Nam sicut juxta dicta num. 372. & seqq. potest Episcopus suos Diocesanos impedire personaliter ire Romam, ita Superior Regularis potest suos Subditos utpote etiam impedire personaliter ire Romam absolvere. Siquidem in Religionis favorem, & ut tollatur evagandi materia, possunt Superiores Regulares absolvere ab omnibus casibus Papalibus, nisi excessus fuerint difficiles & enormes, de quibus num. seq. Et quia habent in suos Subditos jurisdictionem ordinariam, & quasi Episcopalem, possunt dictam facultatem absolvendi delegare aliis, ut in simili diximus supra num. 398.

Resp. II. Ex Apostolica concessione possunt Generales, & Provinciales, eorumque Vicarii, & Custodes in suis Custodiis Fratres sibi commissos, vel ad eos inadequate declinantes, ab omnibus casibus, in quos inciderint, sive ante, sive post ingressum Ordinis, etiam Sedi Apostolicæ reservatis (Hæreticis, re lapsis, Schismaticis, Litterarum Apostolicarum falsificatoribus, ad partes Infidelium prohibita deserentibus, Bigamis, & homicidii voluntariis exceptis) absolvere, ac etiam in quibusvis sententiis Excommunicationis, Suspensionis, & Interdicti à Jure, vel ab homine generaliter promulgatis: ac etiam dispensare in Irregularitatibus

propter dictas sententias, aut ob celebrationem Divinorum in locis Interdicto Ecclesiastico suppositis, vel ob Suspensionem Ordinum cum prædictis Censuris contractis: & ab istis casibus à propriis, quos sibi elegerint, Confessariis dispensari.

Ita verbatim sonant statuta nostra Generalia novissimè recognita, à Sede Apostolica confirmata, & à Reformatâ Provincia Bavaricæ acceptata cap. 7. & à Reformatâ quæ eadem refert ac probat P. Angelus. fol. 117. in Theatro Regularium, & Absolvo. §. 4. citans Summos Pontifices, qui hanc amplissimam absolvendi potestatem Ordini concesserunt. Quia igitur de Legibus jam institutis non est judicandum, sed secundum ipsas vivendum, arg. c. In istis, dist. 4. nunc determinationi Statutorum Generalium omnino insistentium censeo. Quibus sic stantibus,

Quæritur II. An, & qualem potestatem absolvendi Sæculares ab Hæresi, vel aliis casibus Papæ, vel Episcopo reservatis habeant Regulares tam Subditi, quàm Superiores? Ante responsum notandum primò cum Communi, jurisdictionem absolvendi Sæculares exempti non accipiunt ab Episcopo approbante, sed supposita approbatione Episcopi localis, & consensu proprii Superioris Regularis, eam concessam habent à Sede Apostolica, prout desumitur ex Clem. Dudum. §. Statuimus de Sepulturis. Hinc Fagnanus dist. c. Omnis de Penitent. & remiss. numer. 79. sic ait: Jam Sacra Congregatio Concilii declaravit, Regulares intra Diocesi Episcopi approbantis posse etiam audire penitentem alterius Diocesis; cum habeant jurisdictionem à Papa ex Clem. Dudum. de Sepulturis, & notat Glossa in c. 2. de Penitent. & remiss. in 6. §. Item tertio & c. ibi: Mandicantes verò sunt delegati à Sede Apostolica. Aliam rationem addit Layman lib. 5. tract. 6. cap. 10. numer. 19. quia videlicet Episcopus tam ampliam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium Fidelium undequaque venientium, eoque à Censuris etiam reservatis absolvendi dare non potest: sed eam Confessarii Mendicantium à Summo Pontifice, cum dependentia à consensu sui Prælati, & approbatione Episcopi accipiunt.

Notandum secundò cum citato Fagnano nu. 78. & seqq. ac aliis communiter, quòd quando Episcopi, alique locorum Ordinarii certos Casus sibi reservant juxta Concilium Tridentinum Sess. 14. cap. 7. talis actus reservationis principaliter ac directè afficiat personam confessorii arcando ejus jurisdictionem; licet etiam indirectè obtinet penitentibus, eò quòd à tali Sacerdote ob defectum jurisdictionis absolvi non possint. Et hoc patet primò ex cir. Concilio Trident. ibi: Extra quem articulum mortis cum Sacerdotes nihil possint in casibus reservatis, Concordat Clem. Dudum. §. Per hujusmodi, & Sepultur. & Extravag. Inter cunctas. §. Sicque de Privilegiis, ibi: Sicque de casibus reservatis se nullatenus intromittant. Patet enim, quòd hac loquendi formulâ Confessoriorum jurisdictione restringatur, sicut reservatio Casuum ipsos principaliter & directè afficiat. Ex quo ratiò.

Inferitur à Fagnano loc. cit. nu. 78. & seqq. quòd Regulares in aliqua Diocesi ad audiendas confessiones ab Episcopo approbati sine facultate absolvendi à Casibus reservatis, possint absolvere penitentes ex aliena Diocesi conducentes à casibus in Diocesi penitentis reservatis, non autem in qua Confessiones audiunt. Tum quia reservatio Casuum afficit Confessarium, limitando ejus jurisdictionem: non potest autem Episcopus limitare jurisdictionem Regularis extra suam Diocesi existentis. Tum

De Judice Criminis Hæreseos.

SUMMARIUM.

- 431 In causa Hæresis nullus Laicus, sed solus Ecclesiasticus potest esse Judex.
- 432 Etiam si sola questio facti sit.
- 433 Jus Civile contrarium statuens circa hoc fuit correctum à Jure Canonico.
- 434 Judices autem Ecclesiastici in causa Hæresis sunt sequentes. I. Papa.
- 435 II. Episcopi respectu omnium existentium in sua Diocesi.
- 436 Quam propterea etiam visitare debet.
- 437 Episcopus etiam Exemptorum Regularium Judex est in causa Hæresis.
- 438 Nisi obstet consuetudo legitime Regularis, ut in Germania.
- 439 Vicarius Generalis sine speciali mandato Episcopi non est Judex in causa Hæresis.
- 440 III. Bene verò Capitulum Sede vacante.
- 441 Non tamen respectu Exemptorum.
- 442 IV. Inquisitores Fidei.
- 443 S. Officium Inquisitionis, & Inquisitores unde initium, & originem habeant?
- 444 Extat hodie specialis Congregatio universalis Inquisitionis, cui Inquisitores omnes subiecti sunt.
- 445 Inquisitores Provinciarum, & Diocesum non sunt Judices Episcoporum, Nuntiorum, & Officialium Apostolicorum. Et num. seq.
- 447 Episcopi in suis Diocesium suis Inquisitores nati.
- 448 Inquisitores, & Episcopi possunt conjunctim, vel separatim in causa Hæresis contra suspectos, vel denunciatos procedere: & quomodo?
- 449 In locis, ubi non viget Officium Inquisitionis, Episcopi soli gaudent omni facultate Inquisitoribus aliis competente.
- 450 Episcopi processum institutum contra Hæreticos debent eandem modum observare, quem Inquisitores: Et quis sit hic modus?
- 451 Principes, Potestates, & Judices sæculares nullo modo possunt se immiscere in processum à Judice Ecclesiastico contra Hæreticos institutum, vel institutum: sed debent immediatè exequi sententiam Judicis Ecclesiastici.
- 452 Nec possunt præterire videre prius processum à Judice Ecclesiastico factum: Et si præterierint, debet illis negari.
- 453 Probatur Jure, ac ratione: & num. præced.
- 454 Dicitur statim, vel indilatè exequi, si intra sex dies exequitur.
- 455 Possunt Judices sæculares capere, & ad custodiam ponere Hæreticos ad hoc, ut eos tradant Judici Ecclesiastico.
- 456 Possunt etiam Statuta facere, quibus promovetur processus ab Ecclesiastico institutus, non item quibus impediretur.
- 457 In Germania non expedit, quòd Judex Ecclesiasticus Hæreticos temporaliter vel corporaliter puniat, aut ita puniendos tradat Judici seculari.

Quæritur I. Quis sit, vel esse possit Judex criminis hæreseos? Resp. I. Nullus Sæcularis, seu Laicus, sed solus Ecclesiasticus esse potest Judex in causa hæresis, sive incidentaliter, & principaliter, sive sola etiam sit questio facti de illa. Farinacius de Hæresi, q. 186. à nu. 152. Pichling h. t. num. 126. Del Beno de Luminis, & Jurisdict. Rec. sup. 16. lib. 22. nu. 12. Barb.

Tum quia actus reservationis est localis, & restrictus ad suam ejusque Episcopi Diocesi, ut desumitur ex Concilio Trident. loc. cit. ibi: Nec dubitandum est, quin hoc idem Episcopi omnibus in sua cujusque Diocesi liceat. Tum etiam, quia non tenentur Regulares Confessarii habere notitiam Casuum reservatorum in aliena Diocesi. His notatis,

Resp. I. Quoad potestatem Regularium absolvendi Sæculares, esse imprimis cavendas quasdam Propositiones novissimè damnatas. Prima sic sonat: Prælati Regulares possunt in Foro conscientie absolvere quoscunque Sæculares ab Hæresi occultâ, & ab Excommunicatione per eam. Secunda est: Mendicantes possunt absolvere à Casibus Episcopis reservatis, non obtentâ ad id Episcoporum facultate. Tertia est: Satisfacit præcepto annuæ Confessionis, qui confitetur Regulari Episcopo præsentato, sed ab eo injustè reprobato. Et hæc tres Propositiones una cum pluribus aliis, ut minimum tanquam scandalosæ, sunt damnatæ ab Alexandro VII. non obstante, quòd ultima earum olim fuerit fundata in Jure Canonico, nempe in Clem. Dudum. §. Si verò, de Sepulturis.

Resp. II. Nullus Regularis, quantumvis privilegiatus, sive Superior, sive Subditus habet potestatem absolvendi Sæculares ab aliquo casu Bullæ Cœnæ Communis, & certa, ob clausulam omnium privilegiorum plenissimè derogatoriam Bullæ Cœnæ insertam §. 24. cujus verba lege supra num. 325.

Limitant aliqui Conclusionem in Sæcularibus personaliter Pontificem adire impeditis: utpote quos à quolibet, consequenter etiam à Regulari Confessario uti in articulo mortis absolvi posse, docent juxta dicta supra num. 395.

Resp. III. Nullus Regularis potest absolvere Sæculares à casibus reservatis Episcopo illius loci, in quo talis Regularis existit, Rursus communis, & certa; quia contraria opinio est damnata, juxta dicta num. 426. Dicitur tamen notanter, Episcopo loci, in quo talis Regularis existit, ob dicta num. 425.

Resp. IV. Confessarii Ordinum Mendicantium rite approbati habent generalissimam facultatem super omnes Casus & Censuras Papæ reservatas, exceptis iis, qui continentur in Bulla Cœnæ Domini; quibus adde Casus Episcopi reservatos, ob proximè relatum Propositionem damnatam, ita Herincx loc. cit. quest. 2. Sannig, alique communiter. Patet hoc ex variis concessionibus SS. Pontificum, quas videre est in Compendio Privileg. & Absolutio quoad Sæculares. Tum etiam ex concessione Pauli III. factâ Confessariis Societatis JESU, & consequenter aliorum Ordinum habentium communicationem Privilegiorum. Et quidem Verba Pauli III. in Bulla. Cum inter cuncta, sunt valde notanda, & sic sonant: Concedimus quovunque utriusque Sexûs Christi Fidelium ad eos accedentium Confessiones audiendi, & Confessionibus diligenter auditis, ipsos & eorum singulos ab omnibus & singulis eorum peccatis, criminibus, excessibus, & delictis, quantumcumque gravibus & enormibus, etiam Sedi Apostolicæ reservatis, & à quibuscumque ex ipsis casibus resultantibus sententiis & censuris & penis Ecclesiasticis, exceptis contentis in Bulla, qua in die Cœnæ Domini solita est legi, absolvendi, ac eis pro commissis penitentiam salutarem injungendi, plenam ac liberam facultatem. Hactenus citata Bulla. Plura de potestate absolvendi competente Regularibus vide apud Moralistas, & Auctores de Regularibus Scribentes, uti Roderiquez, Miranda, Lexena, Portel, ac etiam Herincx de Sacramento Penitent. q. 3. Disp. 7. & alios.

Resistenti Jus Can. Tom. 7.

Barb. in c. ut inquisitionis. h. t. in 6. num. 7. cum Glossa communiter recepta in c. c. v. Prohibemus: Et que hodie certa ob clara Jura c. Ut Inquisitionis 18. §. Prohibemus. h. t. in 6. ibi: Prohibemus quoque districtius, Potestatis, Dominis temporalibus, & Rectoribus, eorundemque Officialibus supradictis, ne ipsi de hoc Crimine (cum sit merè Ecclesiasticum quoquo modo cognoscant, vel judicent. Ratio assignatur in citato textu, videlicet, quia hoc Crimen est merè Ecclesiasticum; de Ecclesiasticis autem sola judicat potestas Ecclesiastica, c. Decernimus. 2. de Judiciis, ibi Decernimus, ut Laici Ecclesiastica tractare negotia non præsumant, sed Episcopi, & alii Ecclesiarum Prælati &c. Nec propter eorum (Laicorum) prohibitionem, Ecclesiasticam dimittant jurisdictionem exercere. Concordant c. Quanto. 3. cod. & c. Si Judex. 12. de Sentent. Excommunic. in 6.

432 Dicitur notanter sive sola sit questio Facti de illa: cum questio Facti de Hæresi à questione Juris vix possit separari; quia si quis ob verba vel signa externa Hæresim arguitur, necessariò investigandum erit, ac scienter, vel ignoranter, an ex joco & simplicitate, vel seridè & ex malitia, an relativè vel ex propria mente, verbo, an talia sint, quæ ad Hæresim, & penas contra illam à SS. Canonibus statutas exiguntur, quæ utpote questionem Juris in hac causa concernentia, non nisi à Judice Ecclesiastico cognosci valent, ut bene advertit Petrus Barbosa in l. Titia. 34 ff. Solutio Martini. num. 37.

433 Nec obstat, quòd in Jure Civili expressè statutum invenitur Hæreticos saltem laicos in causa hæresis judicari & condemnari posse arg. l. 1. §. 1. c. de Summa Trinitat. l. Quicumque. 8. §. fin. c. h. t. cum Concordantiis. Respondetur enim hæc Jura à SS. Canonibus correctà fuisse, ita, ut licet olim Laici esse poterint Judices in causa hæresis, tamen hodie esse non ampliùs possint. Farinacius loc. cit.

434 Resp. II. In specie autem Judices Ecclesiastici in causa hæresis sunt sequentes. I. Summus Pontifex. Omnes: quia ab eo omnis aliorum Judicum jurisdictio spiritualis descendit, & dependet.

II. Quivis Episcopus est Judex ordinarius in causa hæresis respectu omnium suorum Dioecesanorum tam laicorum, quàm Clericorum Farinacius de Crimine Hæresis q. 86. §. 1. num. 5. & segg. Abbas in c. Ad abolendam. 9. h. t. num. 3. & ibi Joan. Andreas num. 3. Azorius p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 2. Pirhing h. t. num. 124. cum Comuni aliorum, textus est in Clem. 1. §. Propter quod. h. t. Ratio est: quia Episcopi ex Officio possunt, & debent in suis Dioecesibus extirpare hæreses, consequenter etiam judicare, quàmvis sint hæretici, & debitis penis in eos amandaverint.

Imò c. Excommunicamus. 13. §. Adjicimus. h. t. in virtute obedientiæ, & sub pena depositionis stricte mandatur, ut quilibet Archiepiscopus, & Episcopus per se, aut Archidiaconum suum, aut alias honestas, idoneasque personas bis, aut semel in anno propriam Parochiam, in qua fama fuerit, Hæreticos habitare circumveniat: & ibi tres, vel plures boni testimonii viros, vel etiam (si expedire videbitur) totam Viciniam jurare compellat, quòd si quos ibi Hæreticos sciverit, vel aliquos occultis conventiculis celebrantes, seu à communi conversatione Fidelium vitæ moribus dissidentes, eos Episcopo sudeat indicare, ipse autem Episcopus ad præsentiam suam convocet accusatos: qui nisi se ab objecto reatu purgaverint, vel si post purgationem exhibitam in pristinam fuerit relapsi perstiterint, canonice puniantur. Si verò ex qd juramenta religionem obstinatione damnabil

respuentes jurare fortè noluerint, ex hoc ipso tantquam Hæretici puniantur.

Et quidem hæc jurisdictio Episcopi in causa hæresis extenditur etiam in personas Exemptas, ita ut has quoque ob Hæresim citare, judicare, & punire valeat, non quidem ut Judex ordinarius, sed ut delegatus Papæ, textu expresso c. Ad abolendam. 9. §. fin. h. t. ibi: Si qui verò fuerint à lege Diocesana jurisdictionis exempti, soli subiaceant Sedis Apostolicæ Potestati; nihilominus in his, quæ contra Hæreticos instituta, Episcoporum subeant jurisdictionem: & eis in hac parte tanquam à Sede Apostolica delegatis (non obstantibus libertatis suæ privilegii) obsequantur.

Videtur tamen usus & consuetudo (quæ legi, & timè præscripta utique derogat legi Ecclesiasticæ, c. fin. de Consuetud.) in Germania obtinuisse, quòd Prælati Regulares suos Subditos etiam in causa Hæresis judicent, & penis Juris afficiant, uti videre est in casibus, quibus Regulares Apostatæ hereticam Sectam amplexi, denudè revertuntur, & capiuntur: hos siquidem non ab Episcopis, sed Prælati suis Regularibus judicari, ac puniri, satis in aperto est.

Porro, quàmvis juxta dicta Episcopus in causa Hæresis sit Judex competens & ordinarius super omnes etiam exemptos Dioecesanos, tamen potestate judicandi in hac causa caret Vicarius illius Generalis, nisi speciale ad eum habeat mandatum ab Episcopo sibi datum saltem sub clausula generali sequenti, vel simili: Committimus, & concedimus tibi omnia, quæ nos possumus, etiam illa, quæ speciale mandatum requirunt. Farinacius de Hæresi. q. 186. n. 13. Imola in Clem. 1. h. t. n. 19. Pirh. h. t. n. 124. Ratio est: quia ob gravitatem hujus Criminis requiritur specialis commissio, ut desumitur ex Concilio Trident. Sess. 24. de Reformat. cap. 6.

III. Judex ordinarius in causa hæresis est etiam Capitulum Sede vacante (non item Vicarius ipsius Generalis, nisi specialiter deputetur, ob dicta num. præced. Farinacius de Hæresi. q. 186. num. 177. Hostiensis in c. Ad abolendam. h. t. num. 2. & 4. Barbosa num. 2. Abbas num. 1. Pirhing h. t. num. 125. cum Comuni aliorum, arg. cit. c. Ad abolendam 9. h. t. ibi: Vel Clerici ipsi Sede vacante. Ratio est: quia Sede vacante transit tota jurisdictio Episcopi in Capitulum. Nec refert, live per mortem Episcopi, live per ejus capturam, vel alio modo Sedes vacet. Farinacius loc. cit. num. 179. in Glossam in Clem. 1. h. t. v. Sede vacante, communiter receptam.

Exemptos tamen Capitulum Sede vacante in causa hæresis judicare nequit. Farinacius de Hæresi. q. 186. num. 182. Abbas in c. Ad abolendam. h. t. num. fin. cum Comuni aliorum. Ratio est: quia Capitulum Sede vacante succedit Episcopo solum in iis, quæ Jure ordinario competunt Episcopo, non verò in iis quæ non nisi Jure delegato, aut speciali habet, prout ampliùs diximus Lib. III. Tit. IX. à num. 42.

IV. Judex competens in causa hæresis sunt Inquisitores Fidei in S. Officio Inquisitionis, de quibus specialis meriti instituitur Questio, quæ

Queritur II. Quid sit Officium Inquisitionis? Quid Inquisitores? & quæ potestas eorum in causa hæresis? Pro prima & secunda parte Questio sciendum, quòd, cum circa initium sæculi Tertii hæresis sub specie pietatis se non tantum insinuaret, sed latè diffunderet, ita ut Galliam, Pædemontium, & Lombardiam plurimùm inficeret, Innocentium III. Arnoldum Abbatem Cisterciensium, & alios ejusdem Ordinis & Reformationis Abbates scientiâ & virtute præclaros, & confutatos

dos Abigenibus errores destinavit.

Et cum hæreses nihilominus multùm grassarentur, ita ut Episcoporum, & prælatorum cura, labor, & vigilantia necdum sufficeret ad eas extirpandas, & avertendas, S. Dominicus celeberrimi Ordinis Predicatorum Fundator, Zelo Fidei & animarum apud eundem Pontificem Innocentium III. institit, & obtinuit, ut contra omnes de Hæresi insinulatos, suspectos, aut diffamatos verus institueretur Processus judicarius, ad hoc ut dein de hæresi judicialiter confessi, aut convicti severissimè punirentur. Atque inde initium sumpsit S. Officium Inquisitionis contra hereticam pravitatem, in quo primus Inquisitor generalis institutus fuit dictus S. Dominicus, & post illum alii ejusdem Ordinis Alumni: quibus substituti dein, & alii subordinati fuerunt alii Inquisitores inferiores, & locales in diversis Provinciis, & Dioecesibus, præsertim Italiæ & Hispaniæ, ita, ut ibidem in singulis quasi Dioecesibus adset S. Officium Inquisitionis, & Inquisitores contra hereticam pravitatem, qui omnes hodie subiecti sunt S. Congregationi Cardinalium universalis Inquisitionis, vel S. Officii.

444 Nam cum dictus Pontifex cerneret, noviter extortas Hæreses Lutheranam, & Calvinianam multùm serpere, & invalescere, ad eas, & alias hæreses melius coerendas, & ne ulterius diffunderentur, atque ut Officium Inquisitionis ubique majori cum fructu, & exactè exerceretur, instituit memoratam Congregationem Anno 1542. per Constitutionem Licet ab initio Eusebii Cardinalis de Luca Relatio Curie Romanae, Discurso 14. à num. 2. His notatis.

445 Resp. I. Inquisitores omnes tam Generales, & Supremos, quàm inferiores & locales sunt veri Judices hereticorum in suo districtu, Provincia, aut Dioecesi. Communis, & certa, arg. c. Ut Officium. 21. h. t. in 6. ibi: Ut Officium Inquisitionis contra Hæreticos in Provincia, in qua vobis idem Officium est commissum, auctoritate Apostolicâ potestati efficacius adimplere, discretionis vestre per Apostolicam scriptam mandamus, quatenus ubique in præfata Provincia simul, vel separatim, aut singulariter (prout negotii utilitas suadebit) contra Hæreticos, credentes, receptatores, fautores, & defensores eorum, nec non contra infamatos de Hæresi, vel suspectos, juxta Sanctiones canonicas (hominum metu Divino timori postposito) procedatis.

446 Limitatur tamen Conclusio in Episcopis, & Sedis Apostolicæ Nuntiis, aliisque Officialibus, utpote contra quos etiam suspectos de crimine hæresis inquirere nequeunt, sed tenentur capti prius debitâ informatione illos denuntiare Sedi Apostolicæ, prout expressè statuitur, c. Inquisitores. 16. h. t. in 6. & Extravag. Matthæus. 3. ac fin. h. t. inter communes.

447 Resp. II. Præter Inquisitores à Sede Apostolica specialiter deputatos, quivis Episcopus in sua Dioecesi censetur esse, ac reverè est Inquisitor natus, ita ut eandem cum dictis habeat potestatem in causa hæresis, ut bene observat Cardinalis de Luca Relatio Curie Romanae Discurso. 14. num. 4. & patet ex dictis.

448 Resp. III. Inquisitores omnes tam deputati à Sede Apostolica, quàm nati, id est, Episcopi & Capitulum Sede vacante, quivis in suo districtu possunt vel separatim, vel conjunctim contra hæreticos procedere; ita tamen, ut si separatim procedant, sententiam condemnatoriam ferre non possint Inquisitores deputati. nisi prius Processum commanent Episcopo, vel Sede vacante Capitulo: Nec Episcopus, nisi suum Processum communique Inquisitoribus, si in sua Dioecesi Officium Inquisitionis viget. Ita clarè sancitum habetur tum cit. c. Ut Officium. 11. h. t. Tum c. Per hoc 17. cod. in 6. ibi: Ut Inquisitionis negotium efficacius, melius, utiliusque procedat, concedimus, quòd per Episcopos, & Inquisitores de facto eodem inquiri valeat communiter, vel divisim: & si divisim processerint, teneantur sibi invicem communicare Processus, ut per hoc possit melius veritas inveniri: & nisi hoc casu Inquisitores in Sententiæ pronuntiatione Diocesanis, vel econtrà duxerint deserendum.

Patet dispositum, & res ulterius declarat Clem. 1. §. Propter. h. t. illis verbis: Sic quod quilibet (tam Episcopus nempe, quàm Inquisitor) de prædictis sine alio citare possit, & arrestare, sine capere, ac tunc custodiæ mancipare, ponendo etiam in compediibus, vel manibus ferreis, si ei visum fuerit sciendum: super quo ipsius conscientiam omeramus, nec non inquirere contra illos, de quibus pro hujusmodi negotio secundum Deum, & Justitiam videtur expedire. Duro tamen tradere carceri, sine arbitrio, qui magis ad penam, quàm custodiam videatur, vel tormentis exponere illos, aut ad sententiam procedere contra eos Episcopus sine Inquisitore, aut Inquisitor sine Episcopo Diocesano, aut ejus Officiali, aut Episcopali Sede vacante, Capituli super hoc delegato, si sui ad invicem copiam habere valeant intra octo dierum spatium, postquam se invicem requisierint, non valebit.

449 Dicitur autem notanter in Conclusione num. 448. Si in sua Dioecesi Officium Inquisitionis viget: Non ubi hoc non viget, uti in Germania, Gallia, Polonia, possunt Episcopi totum Processum inchoare, & per sententiam etiam condemnatoriam solifinire, absque hoc, quòd Processum suum transmittant ad alienam Dioecesim, vel Provinciam; ubi Officium Inquisitionis, & Inquisitores existunt; eò quòd in præfatis locis, ubi Inquisitio non viget, munus Inquisitorum obeant, & eandem, quam illi in hæreticos, potestatem habeant, ac privativè exerceant Episcopi, uti post Azorium p. 1. lib. 8. cap. 18. q. 2. bene observat Pirhing h. t. num. 130. receptulque probat usus, ac consuetudo.

Porro quandocunque Episcopi live in loco, ubi 450 viget Officium Inquisitionis, live in alio Processum contra aliquem in causa hæresis instituunt, possunt & debent eundem modum observare, quem observare in hac causa tenentur Inquisitores à Sede Apostolica deputati, c. Per hoc 17. §. fin. h. t. ubi universaliter ita disponitur: Sive autem ordinariâ, sive delegata Episcopi potestate procedant, illum in procedendo modum observent, quem Inquisitores possunt, & debent per Jura communia, vel per speciales Constitutiones, seu Ordinationes Sedis Apostolicæ observare. Qualem autem modum & ordinem in formando Processu contra hæreticos servare debeant Inquisitores, vide apud Farinacium de Hæresi à q. 185. Castro Palao de Fide Tract. 4. Disp. 8. pum. 13. Pirhing h. t. à §. 6. & alios, vide etiam Processum nostrum Criminalium Tit. 1. traditum.

451 Queritur III. Qualiter Principes, aliæve Potestates, & Judices seculares habere se debeant, ac possint in causa hæresis, præsertim in casu, quo ab Inquisitoribus, vel Episcopo intenditur, vel formatur Processus? Resp. I. Principes, & Potestates seculares quicumque de crimine hæresis non solum nullo modo cognoscere, nulloque modo resistere possunt, sed potius si invocantur, assistere tenentur tam Episcopis, quàm Inquisitoribus, si qui eorum contra hæreticos procedere, eos inquirere, vel processare voluit: Tenentur insuper

pœnam ab Ordinario, vel Inquirente impostam hæretico, illico exequi: vel si hæretici eidem puniendi traduntur, ordinariâ Juris pœnâ, etiam mortis afficere. Patet Conclusio ex c. Ut Inquisitionis 13. h. t. in 6. quod totum hic inferere placuit, & sic sonat:

Ut inquisitionis negotium contra hæreticum pravitatem, ad Dei gloriam, & augmentum Fidei nostris temporibus prosperetur, leges quasdam per Fridericum olim Romanorum Imperatorem, tunc in devotione Romana persistentem Ecclesia promulgatas, quatenus Dei, & Ecclesie sue sanctæ honorem promoveat, & Hæreticorum exterminium prosequatur, & statuta canonica non obstant approbantes, & observari volentes: universos Saculi Potestates, & Dominos temporales, ac provinciarum, terrarum, civitatum, aliorumque locorum Rectores, quibuscunque dignitatibus, vel officiis, aut nominibus constituentur, requirimus, & monemus, ut sicut reputari cupiunt, & haberi fideles, ita pro defensione fidei Diocesani Episcopi, & Inquirentibus hæretice pravitate à Sede Apostolica deputatis; aut in posterum deputandis pareant. & intendant in Hæreticorum, credentium, fautorum, receptorum, & defensorum ipsorum investigatione, captione, ac custodia diligenti, cum ab eis fuerint requisiti: & ut prefatas personas pestiferas in potestatem, seu carcerem Episcoporum, aut Inquirentium ditorum, vel ad locum, de quo ipsi, vel aliqui ex eis mandaverint, infra eorundem Dominorum potestatem, vel Rectorum districtum ducant, vel duci faciant sine mora: ubi per viros Catholicos à prefatis Episcopis, seu Inquirentibus, vel eorum aliquo deputatos, sub archa, & diligenti custodia teneantur, donec eorum negotium per Ecclesie iudicium terminetur.

Utque de Hæresi à Diocesano Episcopo, vel Inquirente, seu Inquirentibus condemnatos, prefati Potestatis, Domini temporales, Rectores, vel eorum Officiales, seu Nuntii sibi relicti statim recipiant indilate animadversione debitâ puniendos: Non obstantibus appellationibus, seu proclamationibus predictorum nequitia filiorum: cum tam secundum legem Imperialem, appellationis, & proclamationis beneficium expressè sit hæreticis, credentibus, ac eorum receptoribus, fautoribus, & defensoribus interdictum.

Prohibemus quoque districtis Potestatibus, Dominis temporalibus, & Rectores eorundemque Officialibus suprascriptis, ne ipsi de hoc crimine (cum merè sit Ecclesiasticum) quoquo modo cognoscant, vel iudicent: sive captos pro eodem crimine absque dictorum Episcoporum, sive Inquirentum, aut saltem alterius eorundem licentiâ, vel mandato à carcere liberent: aut executionem sibi pro huiusmodi crimine à Diocesano, vel Inquirentibus, seu Inquirentes injunctam promptè (prout ad suum spectat officium) facere, seu adimplere detrectent: vel aliâ Diocesanorum, aut Inquirentum iudicium, sententiam, seu processum directè, vel indirectè impedire presument.

Si quis verò de prædictis Potestatibus, Dominis temporalibus, Rectores, vel eorum Officialibus, seu Ballivis contra prædicta fecerit, aut prefato Fidei negotio sapè satis Diocesano Episcopo, Inquirentibus incumbenti se opponere foris præsumpserit, vel ipsam aliquatenus impedire, necnon & qui scientes in prædictis dederit auxilium, consilium, furvorem, Excommunicationis se noverit mucrone percussum: quam si per annum animo sustinuerit pertinaciter, ex tunc velus Hæreticus condemnatur.

Resp. II. Principes, Potestates, aut Judices seculares non differre, aut reculare possunt executionem sententiæ ab Inquirente, aut Ordinario in causa hæresi latam, nec omittre, differre, vel negligere inferre pœnam Jure debitam Reo hæretico

illis tradito, sub prætextu, quòd debeant prius videre Processum à Juce Ecclesiastico factum, an sit rite formatus, vel an sententia sit iusta vel non. Nec ulla ratione possunt pretendere, videre, & solutrare Processum, sed si petunt, potest & debet illum Juxta Ecclesiasticum negare. Farinacius de Hæresi. q. 186. à n. 165. Castro Palao de Fide Tr. 4. Disp. 3. pun. 14. num. 5. cum communissima, & hodie certa aliorum, quos copiosè ibidem allegat Farinacius dicens cum aliis, sententiam contrariam, communi Peritorum consensu, & usu explosam esse, atque rejectam, arg. cit. c. Ut inquisitionis. 13. h. t. in 6. ubi §. Utque de Hæresi expressè excipit Papa, ut Domini temporales sibi relicti (Hæreticos) statim accipiant, indilate animadversione debitâ puniendos, & §. Prohibemus, ne executionem sibi pro huiusmodi crimine à Diocesano, vel Inquirente junctam, promptè facere, seu adimplere detrectent. Accedit, & Conclusionem certam reddit Constitutio Innocentii VIII. Dilectus, etque decima inter Constitutiones dicti Pontificis in Bullario Cherub. ubi Papa præcipit, ut Judices seculares sine ulla visione Processus ab Inquirente facti exequantur sententiam, & quidem sub pœna Excommunicationis ipso facto incurrendæ: ut patet ex tenore Bullæ sic sonantis:

Dilectus filius frater Antonius de Brixia Ordinis Predicatorum in partibus Lombardiæ Inquisitor hæretice pravitate, unâ cum Venerabili fratre Episcopo Brixienfi, seu ejus Vicario Generali, sicuti vobis nuper fecit exponi, contra nonnullos urivique sexus Hæreticos, ut accepimus, quos culpabiles, ut Hæreticos impenitentem reprobos, panâ debitâ Juri puniendos condemnavit: ac Officiales Civitatis Brixienfis, ut injunctam executionem adimplerent, requisivit, qui Officiales justitiam ministrare, & dictam sententiam exequi (nisi prius Processus per Episcopum, & Inquirentem agitados non viderent) in non parvum Orthodoxæ fidei scandalum, recitarent.

At cum huiusmodi crimen Hæresi sit merè Ecclesiasticum, & delicta nullo pacto impunita remanere debeant, tenore presentium vobis committimus, ut mandamus, ut si est ita, eidem Officialibus secularibus Civitatis Brixienfis sub Excommunicationis pœna, & aliis censuris Ecclesiasticis, præcipiat atque mandetis, ut infra sex dies, postquam legitime fuerint requisiti, sine aliqua ditorum Processuum, per vos agitatorum visione, sententiam per vos latam contra huiusmodi Hæreticos promptè exequantur appellatione remota. Quam Excommunicationis panam ipso facto volumus, & tenore presentium declaramus, incurrisse, si, quòd mandatum fuerit, infra dictum sex dierum spatium, cessante legitimo impedimento, cum effectu non impleverint.

Constitutionibus & Ordinationibus Apostolicis, statutis Civitatis Brixienfis, caterisque in contrarium facientibus non obstantibus quibuscunque.

Datum Rome apud sanctum Petrum sub anno Piscatoris die trigesimo Septembris, Milleesimo quadringentesimo octogesimo sexto, Pontificatus nostri Anno tertio.

Ratio est: quia cum juxta num. 431. & c. Ut inquisitionis 13. de crimine hæresi nullo modo cognoscere, & iudicare valeant, frustra Processum super illo factum pretendunt.

Ceterum ad hoc ut indilate dicatur Juxta seculares exequi, requiritur & sufficit, ut intra sex dies exequatur, prout patet ex dicta Bulla, & tenent communiter Doctores, ut videre est apud Farinacium de Hæresi. q. 186. n. 162.

Resp. III. Quamvis Potestates seculares de crimine hæresi nullo modo cognoscere aut iudicare, nec in Processu contra hæreticos ulla tenus se immisceant

immiscere valeant per dicta: possunt tamen etiam non requisiti suspectos de hæresi capere, & decidere ad hoc, ut illos competenti Judici Ecclesiastico tradant. Farinacius l. cit. nu. 158. Clarus de Hæresi. num. 4. & alii. Ratio est: quia tali modo in iudicatum non se intromittunt, nec Judicem nullo modo impediunt, sed potius debite juvant in ordine ad coercendos, puniendos, & extirpandos hæreticos.

456 Ex eadem ratione possunt etiam facere statuta, & leges, quibus Processus contra hæresin promovetur, Judicibus Ecclesiasticis afficitur, & pœne contra hæreticos à SS. Canonibus inflictæ exasperantur; licet non possint condere statuta, quibus negotium Inquisitionis contra hæreticos directè vel indirectè impediatur, aut retardetur. c. Statutum. 9. h. t. in 6. Farinacius loc. cit. num. 157.

457 Denique notandum, quòd, cum juxta dicta à num. 340. pœne temporales & corporales à Jure contra hæreticos Augustinæ Confessionis (& forsitan etiam alios) in Germania per Pacem publicam videantur sublatae, frustra Juxta Ecclesiasticis traderet hæreticum Judici seculari. Hinc vel ipse hæreticum judicialiter confessum, aut convictum debita pœna etiam temporalis & corporalis, v. g. perpetui carceris (non item mortis) afficere, vel quod consilium est, à pœnis corporalibus, & temporalibus omnino abstrahere debet juxta dicta num. 345.

Et hæc amore Religionis & Ecclesie in odium vitii omnium perniciosissimi hæresi dicta sufficiunt. Qui plura desiderat, legat Farinacium de hæresi, & alios de eadem integros Tractatus scribentes.

TITULUS VIII. De Schismaticis, & Ordinatis ab eis.

SUMMARIUM.

- 1 Ratio continuationis.
- 2 Schisma, & Schismatici quid?
- 3 Schisma aliud est purum, & propriè tale.
- 4 Aliud non purum, sed conjunctum cum Hæresi.
- 5 Quamvis conjuncti sint Schismatici? & qui non?
- 6 Separavit se ab Episcopo suo, & Communitate Diocesana non est Schismaticus propriè.
- 7 Schisma quomodo differat ab Hæresi?
- 8 Pœne Schismatici non puri, sunt pœne Hæreticorum.
- 9 Pœne Schismatici puri sunt I. Excommunicatione.
- 10 II. Inhabilitate ad Beneficia Ecclesiastica.
- 11 Non item privatio Beneficiorum prius vitè oblatorum.
- 12 III. Est confiscatio omnium honorum, ac privatio Officiorum, & honorum &c.
- 13 IV. Est privatio omnis jurisdictionis Ecclesiasticæ, & per consequens nullitas Actuum.
- 14 Schismatici tamen validè ordinant, quamvis ordinati ab eis sint suspensi.
- 15 Schismatici non sunt irregulares, nec infames, nisi Schisma ipsorum sit votorium.
- 16 Si tempore Schismatis sunt duo Pontifices, & unus est certus, ei soli est adherendum.
- 17 Si ambo sunt dubii, nulli est adherendum. Et num. seq.
- 18 Quid interea faciendum? Et num. præced.

Hæresi, & Hæreticis proximè accedunt, imò ordinariè cum ipsis coincidunt Schisma, & Schismatici, nec non Apostasia, & Apostata; hinc post præcedentem Titulum de Reiffenfelius Jus Can. Tom. V.

Hæreticis, in presenti de Schismaticis, & in statim sequenti de Apostatis recto ordine agitur. Itaque

Quæritur I. Quid sit Schisma? Quid Schismatici? & quomodo differant ab Hæresi, & Hæreticis? Resp. I. Quamvis Schisma genericè, & largè loquendo sit quævis scissura, & divisio, seu disruptio Communionis, arg. can. Schisma. c. 24. q. 1. ibi: Schisma quòd græcum nomen est, scissuram significat, proprie tamen & ad propositum loquendo; Schisma est scissura, seu disjunctio, ac divisio, quâ quis se separat ab unitate universalis Ecclesie, in quantum hæc est Corpus quoddam mysticum ex diversorum statuum Fidelibus tanquam Membribus inter se, ac Romano Pontifice tanquam visibili Capite illius constat. Ita in re communis.

Schisma sic definitum dividitur in purum, & non purum, & conjunctum cum Hæresi. Purum sit, & est, quando quis omnes Fidei Articulos, ac etiam supremam Pontificis potestatem, & primatum in Ecclesia credens, ex mera malitia Pontifici quâ tali, seu quâ Capiti Ecclesie & Christi in terris Vicario subesse & obedire, vel ceteris universalis Ecclesie Membribus uniti, vel unitus & conjunctus esse detrectat; ut si ali-quod Regnum, aut Provincia, quòd obedientiam Papæ tanquam Capiti Ecclesie negans, conlitteret sibi proprium Episcopum, aut Patriarcham assumeret, eique in spiritualibus obediret, spre-tis, vel neglectis, & non attentis Papæ mandatis; quamvis de cætero Papatum, & Articulos crederet. Et huiusmodi Regni & Provincie Rex, Princeps, & Incolæ puri, & propriè dicti essent Schismatici.

Schisma non purum, sed conjunctum cum Hæresi est; quando præter separationem ab unitate Ecclesie negatur una, vel plures propositiones Fidei, v. g. si negatur, vel non creditor Pontificem esse in terris Vicarium Christi, & Caput Ecclesie &c. Et quidem ordinariè & practicè loquendo, vix unquam datur amplius Schisma purum, sed quodvis conjunctum est cum Hæresi, ut bene notatur can. Hæresim. caus. 24. q. 3. ibi: Quod quidem, in principio aliquo ex parte intelligi potest: Ceterum nullum Schisma non aliquam sibi fingit Hæresin, ut rectè ab Ecclesia recessisse videatur.

Et ex his colliges, non omnes, qui Romano Pontifici obedire reculant, esse propriè Schismaticos, sed illos duntaxat, qui eidem tanquam universalis Ecclesie Capiti subesse, & obedire detrectant. Hinc Schismaticus non est, qui primatum Ecclesie credit, & Pontifici quâ tali paratus est obedire, hic & nunc tamen ratione materiæ non obedit, v. g. dum jubet, ut arma deponat vel ex odio erga personam &c. vel quia bellum cum ipso gerit &c. Pariter non est Schismaticus, qui Papam non agnoscit Dominum temporalem alicujus Provincie, Regni &c. Sanchez lib. 2. Moral. cap. 26. num. 3. Farinacius q. 184. num. 11. Pithing h. r. num. 3. Ratio est: quia similes inobedientie actus adhuc stant cum recognitione & obedientia erga eundem tanquam Ecclesie Caput, nec separant ab Ecclesia, quatenus est Corpus mysticum, ut supra declaratum.

Pariter non censetur esse Schismaticus, nec Schismaticorum pœnas incurrere, si ab Episcopo suo, etiam quâ tali se quis separat, eique obedire detrectat; quia Schisma propriè dictum est separatio ab Ecclesia universali, & Capite eius. Sanchez loc. cit. num. 6. Abbas ad hanc Rubricam. num. 1. & 2. Azorius p. 1. lib. 3. q. 20. num. 4. quantum vis